

1717 *32* *17*
DISSERTATIO PHYSIOLOGICA

QVA

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE REGIO AC DOMINO,

DN. FRIDERICO AVGVSTO,
ELECT. SAX. HAERED. ETC. ETC.

OECONOMIAM SENSVVM

EX SPECIALI ORGANORVM SENSO-
RIORVM, ET SIGILLATIM, EX PAPILLARVM
NERVEARVM TEXTVRA MECHANICA
DEMONSTRAT

ET
PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISITIONI OFFERT

P R A E S E S

ABRAHAMVS VATER,
PHIL. ET MED. DOCT. NAT. CVRIOS.
COLLEG.

R E S P O N D E N T E

IOACHIMO GOTTLIEB KLEPPERBEIN,
BIRNBVMENSES POLONO.

D. XXX. DECEMBER. MDCCXVII.

IN AVDITORIO MEDICO

H. L. Q. C.

VITEMBERGAE, LITERIS AVGVSTI KOPERSTEINI.

DISSERTATIO PHYSIOLOGICA

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

PROTRIBUNICO AUGUSTO

ORGONOMIA SENSAV

EXERCITIO IN ORGANO SENSUO

THEATRUM SENSORIUM A RUM

PHYSIOLOGIA HISTOLOGIA

SOCIORUM MEMBRORUM

PUBLICAE TRADITIONIS DIVERSIORUM OFFICIORUM

ANARCHIA VATER

PIE ET ALIO DEO NAT. CAROS

COLLEG

JOACHIMUS GOTTLIEB KEPFERLIN

DE MENSIS JOACHIMI

IN AUDITO MEDICO

HIO



DISSERTATIO PHYSIOLOGICA
QVA
OECONOMIA SENSVVM

EX SPECIALI ORGANORVM SEN-
SORIORVM, ET SIGILLATIM EX PA-
PILLARVM NERVEARVM TEX-
TVRA MECHANICA
DEMONSTRATVR.

THES. I.

GVantum in excolenda scientia naturali
& Arte salutari praestiterit studium Ma-
theseos purioris & Mechanicae sublimi-
oris

oris, quantamque lucem in hoc negotio accenderit felix experimentorum ad leges mechanicas universalissimas revocatio, non opus esse censeo, ut pluribus demonstretur, cum nemo non, nisi praeteritorum plane ignarus, hoc fateri cogatur. Circuitus sanguinis vitalis, ab Harvaeo pri-
mum detectus, a Lowero aliisque, qui vestigia eius secuti sunt, explanatus & in apricum positi-
tus, ex motuum in corde, auriculis arteriisque obser-
vatorum, situs atque directionis fibrarum in iisdem, valvularum ad ostia vasorum posita-
rum consideratione & comparatione cum legi-
bus motus in fluidis, originem & incrementa ce-
pit. Secretio animalis, obscuris alias facultati-
bus fictiisque chimicorum fermentis adscripta,
examinata arteriarum in diversis locis diametro,
mutatione in visceribus ratione inclinationis, an-
gulorum & extremitatum, & his comparatis cum
legibus fluidorum, in canalibus amplitudine, in-
clinatione & complicatione variantibus, in suo
motu retardatorum vel acceleratorum, ab inge-
niosissimis nostriaevi viris in lucem protracta me-
rito dici potest. Actio & virtus muscularum
ad movendos artus articulationis legibus coniun-
ctos,

ctos, elevanda pondera, efficiendasque innumeras motuum varietates, in obscuro latuisset, nisi Borellus, Steno, Bernoullius & Keilius dispositiōem situmque fibrarum motricium, crasficiem & longitudinem fasciculorum, & muscularum ad partes movendas applicationem cum funibus trahentibus, actione vectis ac reliquarum potentiarum mechanicarum, observatis diligenter aeternis motuum legibus, contulissent. Adeo quidem verum est, quam quod verissimum, nosnaturam eosque adhuc nescire, quoisque eam per principia mechanica perquirere nondum licuit, cum ea, ut verbis Gulielmini utar, ubique mathematica sit, & idem sit, naturam absque mathesi expiscari velle, ac sine cruribus ambulare, aut artificem instrumenta omnia ad artefactū necessaria abiicere, & nihilominus suum opus promittere. Plura ex innumeris exemplis non addam, solum nunc sufficiat dissertationis hujus argumentum, in quo quid praestiterim, aliis iudicandum relinquo, cum mihi satis sit, ansam celebrioribus ac ingenio pollutibus dedisse, plura forsitan ex eo demonstrandi.

A 3

THES.

THES. II.

Antequam vero ad ipsam tractationem me accingam, ex re esse iudico, ut Tibi, Lector benevole, delineationem quandam praesentis instituti præmittam, ne hunc laborem imperfectionis aut inutilitatis arguas. Non itaque a me expectabis completam sensuum omnium theoriam, organorum sensoriorum descriptionem quoad singulas partes, obiectorum in sensus incurrentium efficaciam, impressiones in organis sensoriis excitandi, & modum, quo ideae istae cum cerebro & anima communicantur. Huic siquidem negotio non dissertatio paucissimis paginis constans, sed vix volumen sufficeret, & vereor, ne actum agerem, cum omnes libri physici, anatomici & medici horum delineationibus & iconibus repleantur. Erit mihi tantum res cum speciali illa organorum sensoriorum constructione, qua alia papillis nervosis instructa esse, alia vero his destitui observatur, ut exinde clarior redditur obiectorum sensibilium dispositio & proportion, in distinctis organis sensoriis peculiarem sensationis speciem efficiendi. Servabo in his ordinem nem

nem inventionis, quo varietatem ienium, organorum obiectorumque mecum reputando, & cum legibus motuum comparando, in has incidi cogitationes.

THES. III.

Sensatio omnis in animalibus oritur ex contac-
tu & pressione extremitatum nervosarum, in
organis specialibus ab obiectis proportionatis,
unde liquidum in nervis turgescens vibratum,
certam quandam motionis speciem cerebro com-
municat, ex qua anima iudicium de constitutio-
ne horum corporum efformat. Organa vero
singula elegantissima ac vere mechanica partium
suarum, imprimis nervosarum constructione gau-
dent, ob quam non nisi obiecta proportionata
admittere possunt, ita quidem, ut oculis non ni-
si lucem, auribus sonum, naribus odorem, lin-
gva saporem, manibus figuram corporum cra-
siorum percipere liceat. Praecipue exquisitio-
rem animi attentionem meretur singularis ille
nervorum contextus, quo in naribus lingua ac
acute myriades papillarum efformant, in oculis &
auri-

auribus vero in membranas, papillis penitus de-
stitutas, expanduntur. Cuius rei fundamentum
inquirens probe perspexi, idem non alia ratione,
quam instituto diligentí papillarum nervosarum
examine, earumque constructione perfecte co-
gnita, inveniri posse, quamobrem ad earum con-
siderationem animum admovi.

THES. IV.

Papillas nervosas im profundissimis tenebris
latentes, luci exposuit Malpighius, negotium
continuavit Bellinus, perfecit Ruyshius, prior-
es ope microscopiorum & curiosae separatio-
nis cuticulae atque corporis reticularis earum
originem & radices lustrando, hic vero fibras ea-
rum evolvendo atque explicando. Vocantur ita
ab Auctoriis citatis eminentiae acuminatae,
figurae pyramidalis & conicae, e cute elevatae
& corporis reticularis foraminulis, tanquam va-
ginulis securitatis gratia inclusae, & per cuticu-
lam, imprimis oborta turgescientia, capitula sua
instar cornuum limacum porrigentes, a quorum
contactu sensus per nervos, e quibus originem
habent

habent, versus cerebrum propagatur. Ex nervosis propaginibus papillas constare, extra dubitationis aleam positum est, quod vero ex pluribus nervosarum fibrillarum extremitatibus conflentur, probabile quidem Malpighio, primo eorum inventori visum fuit, at Ruyfchius idem ad oculum demonstravit, explicatis artificiosissime earum fibris, sine ulla vi adhibita in mamma balaenae, adeo, ut singulae papillae penicillos, ob copiam extremitatum fibrosarum repraesentarent. Quamvis autem papillae reliquarum partium a nemine hac methodo evolutae sint, nec ipse Ruyfchius in homine hanc papillarum cutanearum dissolutionem peragere potuerit, utsi, ipso fatente, fibris sibi invicem firmius cohaerentibus, nullus tamen dubitandi locus relinquitur, omnes ubivis ejusdem esse texturae, quandoquidem eundem usum obtinent.

THES. V.

ITa contractae et in centrum quasi coactae fibrae nervosae, constituunt capitulum eiusmodi rotundum, in cuius vertice omnes fibrae
B con-

concurrunt, et ab obiectis proportionatis sensibilibus tactae, motus speciem cerebro communicant. Quod dum considerarem, non potui, quin iudicarem, hanc papillarem figuram et texturam in organis sensoriis, ubi reperiuntur, ad tactum, olfactum atque gustum excitandum communem aliquem usum praestare, quandoquidem ad visum et auditum excitandum illis non erat opus. Quamobrem examen horum obiectorum, tactum, olfactum gustumque excitantium institui, ut cognoscerem, in quoniam tertio comparationis ea inter se convenient, ob quod illa eandem organorum suorum dispositionem postulant. Tactum non tantum in manibus a superficie corporum crassiorum figuratorum, sed quoque in cute totius corporis ab atmosphaera et effluviis, caloris et frigoris sensum imprimentibus, fieri constat. Gustum et olfactum a particulis et effluviis potissimum salinis, in papillas faucium, linguae et narum impingentibus, concitari experientia docet. Haec corpuscula saporabilia et odorabilia, utut toto coelo differre videantur ab obiectis, tactum in manu excitantibus.

tantibus, convenient tamen inter se, prout sunt corpora figurata, ac propterea in papillis variam generant impressionem. Hinc orta est ratiocinatio, papillas ad superficiem corporum figuratorum excipiendam et iudicandam natas esse, ad quod clarius percipiendum, examinandus est sensus tactus in manibus, quo pacto ille peragatur, ut a similitudine argumentando, veram tandem rationem structurae papillarum, earumque usum cognoscamus.

THES. VI.

Tactum in manu excitari videmus, quando corpora maiora digitis ita comprehenduntur, ut omnes anguli in superficie eorum eminentes impingant in manus latera, et prout plures vel pauciores, acuti vel obtusi, aequales vel inaequales anguli in corpore reperiuntur, plures exinde vel pauciores, aequales vel inaequales impressiones generentur. Ita tres anguli triplcem, quatuor quadruplicem, quinque quintuplicem, et rotunda corpora angulis destituta,

B 2

aequa-

æqualem in tota superficie manuum pressionem efficiunt. Ad indicandam ergo figuram corporum, et numerum angulorum distingvendum, absolute necessaria est eorum comprehensio, nec figura corporum grandiorum, quae comprehensionem non admittunt, nisi iterato contactu a manu iudicari potest, quoniam corpora ex uno latere angulosa, in altero rotunda esse possunt, et ex contactu unius vel pauciorum angulorum, non statim patet numerus reliquorum angulorum, in aliis lateribus corporis existentium. Nec alia est ratio superficie corporum levigatae vel asperae, quatenus levigata et polita corpora, nullis eminentiis gaudentia, nullas inaequales impresiones, sed blandiorem et aequalem contactum papillarum cutanearum efficiunt, asperiora vero innumeris angulis, eminentiis ac sinibus instructa, propter pressionem innumerorum et diversorum angulorum, inaequaliter et cum molestia quadam papillas tangunt. Ita duritiae et mollitiae, gravitatis vel levitatis sensus papillis imprimitur, a corporibus firmisime cohaerentibus aut graviori-

vieribus, cum impulsu et nisu papillas attingentibus, vel a molioribus, levioribus atque cedentibus, leniorem et blandiorem contactum efficientibus. De pluribus tactus speciebus nunc non ero sollicitus, patet tamen ex his alatis, ad accuratam tactus in manu perceptionem, requiri in omnibus tactus speciebus comprehensionem corporum tactilium, et corporum, omnibus lateribus manum non attingentium, rationem per tactum reddi non posse, quoniam, quae in uno latere sunt rotunda, polita, levia, mollia, in altero angulosa, aspera, gravia et dura esse possunt.

THES. VII.

Quandoquidem ergo papillae in manu superficie et angulorum examinandae et diuidicandae inserviunt, in habitu autem corporis, linguae, faucium ac narium reperiantur quoque papillae tales cutaneae. Concludere licet, omnes illas partes ad figurae et superficie in subiectis perceptionem, communem papillarum

B 3

con-

constructionem obtinuisse, et dispositionem nervorum in papillas solam esse idoneam, ad figuram et superficiem corporum variorum distingvendam. Videtur equidem huic sententiae repugnare experientia, qua per papillas cutaneas caloris ac frigoris sensum, per papillas linguae et faucium sapores, et per narum papillas odores distingvimus, at sine figurae horum corpusculorum expressione. Cui dubio ut obviam eamus, supponere et tanquam demonstratum assumere licet, sensum caloris in papillis cutaneis produci per blandam commotionem papillarum cutanearum, a particulis igneis inductam, qua illae non tantum titillantur, sed et motus humorum in vasculis sanguiferis promovetur, unde omnis calor corporis nostri dependet. Quemadmodum e contrario frigus sentitur, quando ab atmosphaera non solum papillae comprimuntur, unde stupor membrorum, sed etiam tota cutis, ex quo motus humorum tardior et difficilior in extremis contingit. Ut autem ad sensum caloris atque frigoris inducendum non tam figura corpusculorum, quam motus impressi varietas facere vide-

videtur, siquidem halitus ex ore aperto in cutem emissus calorem, labii vero contractis propulsus, ventum et frigus efficit, ob motum et impulsu[m] eorundem effluviorum fortioriem. Non tamen propterea denegandum erit, ipsam effluviorum figuram ad calorem et frigus generandum facere, quoniam salina acida in lingua frigiditatis, alcalia vero caliditatis atque fervoris sensum producere videmus, idque ob figurae aequae suae, ac pressionis diversitatem. Quemadmodum etiam nos papillas non tantum ad figuratas, sed motuum quoque diversitates percipiendas natas esse volumus, solas tamen a figuris corporum affici posse, nostra est sententia. In sapore et odore res est manifesta, quod pro varietate corpusculorum salinorum, in papillas lingvae et narium impingentium, ratione figurae, superficie et angulorum, plurium vel pauciorum, acutorum vel obtusorum, distinctus in papillis contactus ac motio liquidi nervosi oriatur, et quasi tactus specialis inducitur. Eleganter proinde Fracassatus, tactus, inquit, quantumvis toto celebretur corpore, nusquam tamen melius, quam in manu perficitur,

citur, hinc etiam mediis digitis tactilium exploramus affectiones, et tuberosae illorum carnis obiectu occurrentes sensibilium energias distinguimus, nec fortasse videtur instrumenta mutantse natura in absolvendo gustum, etenim extantes papillulas, quantumvis paradoxe, digitulos quosdam appellaverim in lingua, quibus uritur natura, ut sentiat veluti praetentando ac molliter palpando immisso circumstantes sapores.

THES. VIII.

Hoc quidem ita, nec aliter se habere, omnes nobiscum agnoscunt, et sapores atque odores per corpora salina figurata, ob angulorum diversitatem variam impressionem in papillis excitantia, peragi docent. Qua vero speciali mechanica papillae nerveae aptae natae sint, quod illae solae a figura atque angulis corporum affici queant, maioris momenti res est, a nemine, quantum quidem ego scio, haec tamen idoneis rationibus demonstrata. In eo

tamen cardo rei versatur, ut texturam illam peculiarem papillarum examinemus, quae corporum figuratorum impresiones excipere potest, ut exinde eliciatur ratio, quare papillae ad tactum tantum, gustum et olfactum sint necessariae, ad visum vero et auditum efficiendum minime requirantur. Diffitendum haud est nos arduum suscepisse negotium, ab eruditissimis Mathematicis intactum et quasi derelictum, cui satisfaciendo, vires nostrae minime pares esse videntur, siquidem mechanica sublimior ac motuum in natura consuetorum leges, his minimis difficulter admodum applicantur. Etenim ad hoc intelligendum, et per singulas odrorum saporumque species demonstrandum, compertas habere debemus, non solum corporum saporabilium et odorabilium figuras determinatas, quas vix in subtilioribus illis corpusculis, nisi a posteriori et effectu cognoscere possumus, sed impulsuum quoque diversitatem, quam quidem in minimis, tumultuarie motis non adeo facile ad leges motuum revocare licet. Praeterea papillarum minimarum contextus interior, situs atque inclinatio fibrarum componentium

C

tium

tium, oculorum etiamsi armatorum aciem penitus fugit. Ad figurarum autem impressarum species propagandas, non tantum externa papillarum figura elevata, quin potius constructio interna, implicatio et situs omnium fibra- rum cogniti necessarius esse videtur, nunquam forte explicandus. In hoc igitur explanando Mathematicorum celebriorum, in hoc genere studiorum exercitatorum, industria facem nobis accendere poterit, quibus adeo hoc problema solvendum et absolvendum relinquimus. Nos interim rationes, quibus id fieri potest et debet, pro virium tenuitate examinabimus, quoniam philosophandi libertas nobis relicta est, et in arduis viam tantum monstrasse, etiam laudis quandam partem meretur.

THES. IX.

Quod ita attinet texturam illam vere specialem, ob quam papillae nervosae soleae aptae natae sunt, ut per corporum figurarum proportionatorum immediatum contactum, earum

earum superficie impressum, certa quaedam motionis species per nervos ad cerebrum propagetur, ex qua de obiectorum istorum constitutione ideac formari queant. Eam primo in combinatione et contractione plurimorum extremitatum nervosarum, in unum capitulum et quasi punctum consistere, ex principiis mechanicis mihi firmiter persuadeo. Quandoquidem enim manu tum demum figuræ corporum maiorum exquisite distingvimus, quando ea a manu comprehenduntur, externa eorum superficies interiora manus tangit, et singuli anguli e corporibus eminentes in cutem et papillas subiacentes impingunt, ut ex superius demonstratis constare existimo. Ideo lingvae ad sapores et naribus ad odores, a particularum sapidarum et odoriferarum determinata figura, et hinc orta varia impressione, dependentes iudicandas, papillas a natura datas esse ratio svaldet, ut corpuscula salina papillas in vertice attingentes, non in unam fibram nerveam, sed in plures angularis suis impingant. Inde autem sit, ut prout salium figura est varia, angularum copia,

copia, iisque vel recti, vel acuti, vel obtusi, sapor et odor distinctus, ob variam impressionem producatur. Fieri enim aliter nequit, quam ut particulae salinae saporabiles et odoriferae, papillas nerveas turbinatas attingentes, omnes fibras nervosas in vertice concurrentes moveant, ac figurae suae et angularum vestigia imprimant, atque a fibris papillarum, quasi a digitis, ut ita dicam, comprehendantur, et sic tactus quaedam species in papilla oriatur.

THES. X.

Haec ut clarius patescant, nobiscum repubamus, in quoniam consistat illa virtus in salibus, saporem atque odorem in lingua excitandi, quandoquidem salia pro primaria saporis odorisque causa communi consensu habentur. Non tamen propterea alia corpora excluduntur, quoniam et illa obiectorum sapidorum et odoriferorum misturam componunt, et varias saporum odorumque modificationes efficiunt. Salia tamen principaliter talem in nervis impressionem

sionem excitare posse, qualis ad gustum et olfactum requiritur, exinde constat, quoniam sensations illae in exquisita generis nervosivellicatione et punctura consistunt, qualem non nisi corpora angulosâ et acuta caufare queunt, siquidem actio proportionalis est causae agenti. Etenim salia sunt corpuscula insectilia, terminata planis superficiebus, ita ad invicem inclinatis, ut simplicem aliquam includant figuram, ut pluribus rationibus e mechanicis petitis demonstrat Gulielmini. Quacunque ergo ratione ex minimis salia componantur, et quo-
cunque modo illa rursus dividantur, quoniam planis superficiebus se invicem secantibus circumscruntur, angulos superficiales necessario habent, et ad prismaticam atque pyramidalem figuram commode reduci possunt. Habent praeterea salia, imprimis simplicia constantem figuram, ita, ut a liquidis divisa, vel alia ratio-
ne in minutissimas partes redacta, eandem in minimis aequâ ac crassioribus concretis exhibeant. Ita quoque corpuscula illa, etiamsi minima solidos angulos, ex concursu angulorum linearium in unum punctum atque verticem

G 3

con-

concurrentibus, generatos necessario possident, quoniam spatium corporeum claudendum, quatuor ad minimum requirit plana fere invicem secantia, quorum tria saltem communes habent sectiones, in eodem punto concurrentes. Haec essentialia salsum attributa, si cum organis sensoriis et in specie papillis comparemus, manifesto videbimus, nulla alia corpora sennum gustus atque olfactus in papillis excitare posse, et id, quod vocamus gustare et olfactere, nihil aliud esse, quam salsum figuram et angulos tactu quodam speciali percipere et distingvere.

THES. XI.

Quandoquidem ergo gustus et olfactus perficitur impressione corporum minimorum, papillas attingentium, haec vero sub cuticula et corpore reticulari haerent, et solo vertice acuminato foras prospiciunt, ex hoc apparet, quod papillae a nullis, nisi acutis corporibus, angulis in superficie instructis exquisite moveri possint,

possint, quoniam hic penetratio intimior requiritur, ad motionem fucco nervoso, in papillarum fibris stagnanti imprimendam. Hinc salia, nisi soluta sint atque in minores particulas divisâ, quae papillis proportionatae esse debent, et angulis versus verticem papillae directis et impingentibus, sensationem nullam producere possunt. Neque enim planae superficies salium poros cuticulae et corporis reticularis introire, et papillas contingere posse putanda sunt, quin potius absolute necessarium est, ut acumina cuneorum instar papillarum mucrones feriant. Impetum illum non anguli lineares et superficiales, sed solidi potissimum facere aestimandi sunt, quandoquidem in iis vires totius corporis prementes concurrunt, atque unitae tanto fortiorem percussionem generant. Quatenus vero angulus solidus particulae salinae, ex pluribus vel paucioribus linearibus angulis concurrentibus constat, penetratione sua intra papillam nerveam, plures vel pauciores in eam fibris contactus oriri, et diversam propterea sensationem perfici, sole meridiano est clarior. Sicut etiam anguli isti, quando acuti sunt,

sunt, intimius spiculis suis intrant, e contrario quando obtusi sunt, superficialiter magis verticem papillae attingunt, et saporem atque odorem modo acriorem, modo blandiorem concitant. Idque non tantum ex principiis mechanicis certum atque evictum sufficienter est, sed etiam experientia confirmatum, quod docent experimenta, in ea re a Lovenhoockio instituta, qui in liquoribus variis generis, specialiter figuratas particulas salinas ope microscopiorum detexit, et in specie in acetō, ante est post additionem lapidum cancrorum considerato, salium in eo fluctuantium angulos acutos, in obtusos transiisse deprehendit. Quemadmodum autem ex concurso et combinatione diversorum salium, emergit figura composita, ita non minus ex illorum mistura cum partibus terrestribus, oleosis aliisque salium figura immutatur, et ob impressionem determinatam in papillis, sapor odorque distinctus excitatur. Ex his constare potest ratio, qua acor in salibus mitigetur per addita alia corpora terrea, oleosa, & gelatinosa, quibus anguli acuti redduntur obtusi, vel in viscidis veluti

luti in vaginalis conduntur. Pari quoque ratione salia, a reliquarum partium consortio liberata, vel in minora divisa, aut pondere, ex alio corpore graviori et mobili addito, accedente, in corrosivam naturam abeunt, uti ex mercurii sublimati, et lunae corrosivae preparatione est manifestum.

THES. XII.

Doctrina haec de sensationibus tactu, olfactu et gustu hactenus exposita, viam sternit ad intelligendum, quare in oculis et auribus papillarum constructio non reperiatur, sed sola nervorum optici et auditorii expansio in rete membranaceum, excipiendis lucis et soni allisionibus sufficiat. Non disceptabimus hic, quamnam particulae aetheris atque aeris figuram habeant, hoc tamen certum est, corpuscula aetherea atque aera figuram angulosam, motui tam pernicissimo contrariam nequaquam possidere, et quocunque modo figurata, promotus et allisionis diversitate, lucem atque so-

D
num

num distinctum in organis ipsis efficere. Etenim lux, vibratione materiae aethereae produc̄ta, est congeries radiorum, a corporibus visibilis ad tunicam retinam pertingentium, qui prout e diversis punctis obiectorum, in quibus variam reflexionem et refractionem experientur, ad distincta quoque tunicae retinae puncta amendantur, fibris nervosis peculiarem motus speciem communicant, qua corporum constitutio iudicatur, et colores in retina depinguntur. Quoniam igitur radii lucidi e propriis punctis exeuntes, determinata quoque retinae puncta feriunt, et uti plures vel pauciores, varie refracti atque reflexi, ita specialem in fibris medullaribus pressionem efficiunt, ad quam non figura, in aetheris particulis homogeneis aequalis, sed motionis ratio in aethere conductit, inde non opus erat in retina efformatione papillarum. Notatu dignissimum tamen est, quod observavit Briggs in sua ophtalmographia, fibras tunicae retinae ad nervi optici exitum concurrentes, papillam quandam generare, unde, ipso iudicante, iuxta hanc papillam visio obiecti perfectissima forsitan oritur, quatenus radiorum

diorum impressiones inde immediate ad cerebrum propagantur. Imo, si speculationi locus est, forte in ista papilla, ex motionibus distinctarum fibrarum, a variis angulis concurrentium, in unum centrum collectis, figurae obiectorum repraesentatio, eiusque ideae formatio in cœrebro consitit.

THES. XIII.

Pari ratione in auribus deficit nervorum constructio in papillas, nervus enim auditorius mollior ossis petrofi cavernam ingressus, ac per ductus labyrinthi et cochleae distributus, terminatur demum in membranam, fenestram ovalem occidentem. Sonus vero ad aurem accedens, aequa ac lux, est congeries radiorum sonorum, a concussione et tremore aeris originem trahentium, qui membranam tympani, in fine meatus auditorii extensam diversimode moveant et vibrant. Membrana tympani ita concussa et pressa, determinata ratione moventur officula auditus singula, articulationis lege con-

D 2 iuncta,

iuncta, adeoque specialis pressio membranae nervosae fenestrae ovalis, a basi stapedis insitente et firmiter connexa communicatur. Impressio ista per anfractus labyrinthi et cochleae, mediante nervo ibidem haerente traducta, intra cerebrum penetrat, ibique id, quod auditum vocamus, absolvit. Non igitur aeris figura, sed percussionis ratio, et exinde concitata singularis commotio membranae tympani, ossiculorum, et membranae nervosae in fenestra ovali, varias sonorum species sifit. Neque enim aeris particulae ad nervum auditorium aut membranam nervosam in fenestra ovali haerentem pertingunt, sed mediante membrana tympani, a nervosa plane diversa, et ossiculis auditus motus ille propagatur. Quemadmodum etiam tremore aeris, intra meatum auditorium per tubam Eustachianam ducto, aut per verticem ac dentes nervoso generi communicato, vel a flatibus in cavitate tympani erumpentibus, aut pulsu arteriarum in capite, auditus excitari potest.

THES.

THES. XIV.

Supereft, ut adhuc quaedam addamus, de exquisitissimo sensu doloris atque amoenitatis, quo omnes partes papillis instructae prae ceteris gaudent, quod per theoriam nostram de papillis nervosis omnium optime explicari potest, et eam mirum quantum confirmat. Experientia docet, omnes corporis nostri partes, quibus papillae a natura datae sunt, adeo delicati sensus esse, ut, sicut ab obiectis gratis et proportionatis blande attactae, penetrantissimam delectationem, ita ab ingratis inclemensius laceffitiae enormem, totamque machinam in consensum rapientem dolorem concipiunt. Quandoquidem tacta una papilla, non simplex quaedam fibra nervosa, sed innumerae in ea extremitates nerveae afficiuntur, et papillae plures proxime fibi adiacent, fieri sane non potest, quin multiplex impressio, in tot fibris multiplicata, tanto penetrantiorē succi elastici inclusi commotionem efficiat. Detracta proinde cuticula, et capitulis papillarum denudatis, adeo aeris quoque impatiens

D 3 tes

tes sunt, ut eius attactum perferre nequeant. Membranae contra, papillis destitutae adeo exquisitas, ex obiectis tangentibus impressiones haud excipiunt, quoniam in quolibet puncto tantum una vel pauciores fibrae afficiuntur. Neque tamen ideo sensationem fortem membranis nervosis et partibus membranosis denegamus, quam dolores pleuritici, periostii, aliquique satis docent, ubi quidem observandum, quod in membranis simul accedit tensio fibrarum nervosarum, et reptatus vasorum per easdem, obque id membranose fibrae insignem consensum experiantur.

THES. XV.

Oeconomia sensuum hac ratione delineata, isti confusione medelam afferit, qua non sine specie veritatis, ab auctoribus unicum tantum sensum tactus esse, reliquos omnes pro tactus speciebus habendos, graviter et cum aplausu pronunciatur. Negari quidem non potest, ad sensationes omnes requiri, organi sensorii

sorii et in eo propaginum nervosarum contatum, ab obiecto sensibili inductum. Aliud tamen esse contingere, aliud vero contactu isto figurae suae impressionem relinquere, in quo tantus ratio consistit, in antecedentibus, argumentis ex ipsa natura rerum desumptis, evictum esse iudico. Plura, ex hac doctrina ad artem medicam redundantia, commoda enumerare superseedeo, quandoquidem nullum est dubium, quin ad sanandos morbos sensuum, symmetria organorum sensoriorum, et dispositio obiectorum iis proportionata cognitu quam maxime sit necessaria. Finem huic labori impono verbis Schelhammeri: Vitium primae coctionis non corrigitur in secunda, et peccatum philosophicum unum, dicam potius physicum atque anatomicum, mille errores parit medicos. DEO ter Optimo Maximo gloria sit in aeternum.



PRAE-

POLITISSIMO
ATQUE
PRAESTANTISSIMO
DOMINO
JOACH. GOTTL.
KLEPPERBEIN
RESPONDENTI
ET
AMICO SVO ÆSTIMATISSIMO
S. P. D.
PRAESES.

Non minus vere, quam concinne locutus est Cornelius Celsus, Medicorum Cicero, quando ait: Profecto verosimile est, et Hippocratem et Erasistratum, et quicunque alii, non contenti febres et ulcera agitare, rerum quoque naturam ex aliqua parte scrutati sunt, non ideo

ideo quidem medicos fuisse, verum ideo quoque
maiores medicos extitisse. Medicum quidem a
medendi prudentia nomen accepisse novimus,
eumque suo satisfecisse officio, qui in cognoscen-
tibus infirmitatibus perspicacem, in eruendis causis
morborum sagacem, in eligendis remediis expe-
ditum, in adhibendis vero illis cautum atque pru-
dentem se exhibet, nemo inficias ibit. At quis
a Medico alienum iudicaret, eum aliis studiis a-
nimum imbuere? Ecquis enim non videt, plura
ad felicitatem medico conciliandam requiri, quam
sibi imaginantur illi, qui medicinam aggredium-
tur, aut in ea facienda iam versantur, aut in ea
hospites illam vilipendunt, vel ludibrio habent.
Ipsa Theologia, e qua religionis principia hau-
rienda, medicum pium, Juris cognitio in foro
utilem, Physices atque Matheseeos cultura in sci-
ficandis morborum causis solerterem, atque mor-
rum doctrina affabilem et liberalem, et ad animi
morbos curandos idoneum reddit. In medico
pietatem, prudentiam, circumspetionem, pro-
videntiam, cautionem, perspicaciam, continen-
tiam, sobrietatem, mansuetudinem, modestiam,
taciturnitatem, veracitatem, gravitatem, magna-
nitudinem, liberalitatem, honestatem, affabilita-

-em

E

tem

tem, civilitatem, et plura desiderat Rodericus a Castro. Obstupesco sane dum haec scribo, si quidem in homine, imbecilitibus obnoxio, tot animi dotes observare vix licet. Tales si se gererent omnes, tot convitia enormia in eos minime extarent, quibus homines malevoli occasionem nasci, quovis tempore ordinem, in republica adeo necessarium laceffere non erubuerunt. Plures etiamnum vestigia legunt Petri Apponensis, qui medicos ut plurimum malorum morum pronunciavit, et vocavit ille invidiae pelagus, medicum detractionis organum, ambitionis perforatam clepsydram, alienae veritatis contradictem, garrulum, propriae ignorantiae constantissimum defensorem, et inexcusabilem aegrorum neglectorem, eoque procedit audaciae, ut experientiam in plerisque fere id ipsum confirmare affirmet. Absit, ut indignis huiusmodi convitiatoribus id ipsum concedamus, contrarium enim in viris medicis, religione, eruditione, gravitate, solertia et modestia conspicuis oculis verlatur, qui virus malignorum ore in artem nostram effusum eludunt. Diffitendum tamen non est, medicum praeter scientiam exquisitam, et multum rerum usum, pietati, mode-

modestiae , ac virtutibus supra recensitis , o-
peram navare debere , siquidem et Deo , et
proximo , et sibi satisfecere velit . Id ipsum
est , quod Tibi , Respondens egregie , acque
ac alius auditoribus meis , tanquam normam
studiorum exoptatorum , ante oculos ponere
soleo . Etenim multum interest , quo minus
medicus eruditus , semper religiosus , prudens ,
solers atque circumspectus inveniatur , id quod
ad praxin felicem plurimum conducere , nemo
negabit . Quandoquidem igitur in Te , Respon-
dens eximie , deprehendo et animi religionem ,
et morum civilitatem , et gestuum modesti-
am , et singularem amorem studiorum , Ti-
bi , juveni bonaे spei prospera quaevis e-
ventura auguror , et ex animo gratulor de
egregiis animi dotibus , et sigillatim de spe-
cimine , quo hoc die , me Praefide , respon-
sione expedita non minus , quam docta ta-
lem Te praestitisti , qualem omnes Te volunt .

Vale et Fave . Dabam Wittembergae

d. 30. Dec. MDCCXVII.

Vm uerbis hodie Pylades con-
tendis amicis
Defendis que Tuas non sine
laude Theles;
Praefide Vatero, medica qui clarus
in Arte,
Dignus Apollineum possidet o-
mne decus.
Ingenui dotes nati dum spectat A-
pollo
Contendit nomen concelebrare
Tuum.
Et tua festiuia miratus munera uoce
Quorum tam celeri sic pede ten-
dis? ait:
Ad Medicæ superum culmen uia
tenditur artis?
Exercet studium digna palaestra
Tuum
Area longa patet, prostat Tibi Cir-
cus honoris
Et

Et referes meritis digna brabaea
Tuis.

Perge lubens, si sic Tua dextra teten-
derit arcum
Non procul Elaei meta laboris
erit.

Paucis hisce Nobilissimo Dn. Respondenti
plaudit

JOH. GEORGE BLOCK, Med. D.

Fortiter in castris Musarum ve-
ra tueris.

Doctaque de sensu, jam Tua
sensa refers.

Præmia, si pergas, capies quoque di-
gna laborum

Nam post certamen, laurea, laus-
que venit.

Hæc ex sincero cordis affectu, erga Nobilissimum clarissimum
atque doctissimum Dn. Klepperbeiniūm scribere et
voluit et debuit ejus dedidimus.

M. I. G. BOHN.

E 3 Est

St il possible, que dans une
grande Jeunesse
Vous commencés déjà avec
tant de sageſſe,
à soutenir une Théſe même avec
aplauſiſſement!
Que tout le Monde paroît en être
fort content.
Si vous continués en pareils cas
Dans l'âge avancé que ne ferés
vous pas?

C' est Mon cher Ami, pour vous feliciter de l' Epreuve
de votre Erudition publiquement faite.

I. C. POPCKEN, Jev.

D. O. M. S.
Nolevit omnibus, non omnibus, Natura
Igneum eminendi ardorem.
Ardet urbs, orbis terrarum bello.
Quivis infestus amicis, amicus infestis.
At quæras: ecqua ſpes pacis ac gloriae ſit?
Virtus bellum reſtinguit, nutrit ſolertia ſcientiam!
Scientia, quā quis nutritus, nutriantur et alii!
Aliorum gloria gloria nutrientis nutritur!

Plaude

Plaude hinc fama!
KLEPPERBEINIO:

Et hujus NVTRITORIBVS, TVTORIBVS graturale!
Cum rerum naturalium notitiâ, salutarium scientiâ
Innutritus pluribus altior eminet.
Cum flamas inter certaminis nutritur, ipse exstinguit.

Narra, ut naturæ sacerdos,
Celebratisimæ vitæ effigiem
A GENITORE aequæ naturae Sacerdote, vivo, non vivo
Delineatam egregie colorat coloratâ mox demū absolvet
Laude, omni, majori eminentissimus.

Hæc in magnum, non majus, maximum extolle.
Quo semper ex meritis
Vivat, Nitescat, Senescat
Felix, Faustus, Fortunatus:

Monumentum vivum
VIRI
NOBILISSIMI, DOCTISSIMI
JOACHIMI, THEOPHILI KLEPPERBEINII.
Birbaum. Pol.

A. S. C.

Amici inter paucos astutissimi
Dulcisima Speciminis eruditî spe
speciosius redivivum,
aeterno hoc lapide
Æterni amoris, atque favoris teste,
inaugurabat.

G. A. Teubner, VR. LL. C.

G.A.Tenpucr, ART. C

Wig hinc annis sibi
Dilectissimam pectusque suum
pergiturq; amorem
et amorem pectusque

LOVINGM; ANGOMM; HABITUM
Habitu

Habili; fidelis; fideliter

Moderato; modice

AVT.

MONSISIM; DACTIL;

modico; modice

AVT.

YNG hinc annis sibi
Dilectissimam pectusque suum
pergiturq; amorem
et amorem pectusque

modico; modice

AVT.

YNG hinc annis sibi
Dilectissimam pectusque suum
pergiturq; amorem
et amorem pectusque

modico; modice

AVT.

YNG hinc annis sibi
Dilectissimam pectusque suum
pergiturq; amorem
et amorem pectusque

modico; modice

AVT.

YNG hinc annis sibi
Dilectissimam pectusque suum
pergiturq; amorem
et amorem pectusque

modico; modice

AVT.


K078


ULB Halle
001 507 192

3



TA-DOC





1717 32 17

DISSE^TRATI^O PHYSIOLOGICA
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIP^E REGIO AC DOMINO,
DN. FRIDERICO AVG^VSTO,
ELECT. SAX. HAERED. ETC. ETC.
**OECONOMIAM
SENSVVM**
EX SPECIALI ORGANORVM SENSO-
RIORVM, ET SIGILLATIM, EX PAPILLARVM
NERVEARVM TEXTVRA MECHANICA
DEMONSTRAT
ET
PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISITIONI OFFERT
PRAESES
ABRAHAMVS VATER,
PHIL. ET MED. DOCT. NAT. CVRIOS.
COLLEG.
RESPONDENTE
IOACHIMO GOTTLIEB KLEPPERBEIN,
BIRNBAVMENSI POLONO.
D. XXX. DECEMBER. MDCCXVII.
IN AVDITORIO MEDICO
H. L. Q. C.
VITEMBERGAE, LITERIS AVG^VSTI KOBERSTEINII.